

*Εἰ γὰρ κεν καὶ σμικρὸν ἐπὶ σμικρῷ καταθεῖο,
Καὶ θαμὰ τοῦθ' ἔρδοις, τάχα κεν μέγα καὶ τὸ γένοιτο.*

His verbis Hesiodeis *) excusatum iri confidimus, quod et res leviores interdum et singulae observationes inter legendos scriptores veteres factae, tam ad crisin et interpretationem, quam ad grammaticam et artem metricam pertinentes locum obtineant dissertationum prolixiorum atque majoris cum doctrinae specie confectarum de ipsius antiquitatis rebus publicis ac domesticis, monumentis, viris praeclaris. Nam et librorum inopia haud raro desistere cogit ab ejusmodi conatibus et pedem jam longe progressum retrahit ab ulterius prosequendo fine, viriumque tenuitas conjuncta cum spatii angustia inhibet mentis impetum properantis ad argumenta graviora profliganda.

Nec illi autem mixtarum observationum libelli cato consilio conscripti suam quandam virtutem non habent, praesertim a viris puerilem institutionem moderantibus muneris publici causa propositi. Primum enim delectum

*) *Ἐργ. καὶ ἤμ. 364. 65.*

exhibere possunt et coronam eorum, quae scribenti optima quaeque visa sint inter diversissimas sententias longa temporum serie in umbra Musarum et scholae conceptas, sive spectantes ad unius pluriumve artium doctrinam, sive ortas ex interpretatione privata vel publica scriptorum insignium. Quibus accedit nonnihil saltem momenti, quum videmus, quantum crucietur nonnullorum vana industria quantumque desudet inutile negotium in uno libro critica ratione tractando eoque viribus imparibus ad unguem percensendo, ubi corradere laborant et aggregare operantur, quidquid extorqueri et adversariorum effertissimorum ope illuminari se patitur. Tum, quoniam nec iuvenibus nostris plane recusari et abnui volumus, quae prosint eorum animo pervolutandis huiusmodi libellis intento, considerandum est, non remoturos sese a lectione, qua invenerint in memoriam reductum iri, quibus delectabantur nuper magistri ore recitatis, quum ipsi operam darent explicandis scriptoribus. Nec porro abhorrent illae selectorum expositiones ab eruditorum usibus. Quippe quibus providere licet quaestionibus animum ad altiorem indagacionem provocantibus vel disquisitionibus nullam subtilioris linguarum rerumve studii partem non attingentibus. Denique magistro in his variis regionibus exspatianti lautam inter consignandum pariunt recreationem amoenumque otium litterarium. Renovant enim memoriae imaginem suavis illius temporis, quo vel sibimet ipsi tacita non unius sed plurium scriptorum lectio multiplex movisset voluptatis genus, vel auditoribus incitata interpretis cura et, ubi aliquid invenisse sibi visus esset, elatior impetus sensum elatiorem iterum iterumque concivisset. At cavendum eo magis, ne delectus amplectatur res nimis exigui ponderis nimisque decantatas, quibus quidem homines litterati, quales nunc sunt, quum saepe offendantur, nunquam tamen crebriore perfunduntur taedio, quam si occupaverint scripta recentem bonarum rerum florem promittentia.

Quibus praemissis jam accedo ad ipsas observatiunculas, quarum priores respiciunt ad *Plutarchi* libellum, inscriptum: *Quomodo adolescens poetas*

audire debeat, nuperrime a Wyttenbachio editum inter cetera Moralia, propediem a me denuo edendum utpote juvenibus lectu dignissimum. Ibi P. 15. A. Wyttenbachius duce Henrico Stephano ex Jannotii exemplari recepit: "Ἀπερ οὖν ἐμοὶ περὶ ποιημάτων εἰπεῖν πρόην ἐπῆλθε, νῦν πρὸς σε γεγραμμένα πέμψαι διενεόθη. Καὶ λαβὼν ταῦτα διέλθε· κἄν δοκῇ σοι —. Probatur tamen ut *legitima* h. e. optimorum librorum auctoritate firmata duorum codicum Paris. lectio: "Ἄ δ' οὖν ἐμοὶ, — εἰπόντι πρόην, ἐπῆλθε νῦν — πέμψαι, διέλθε· κἄν δοκῇ σοι —, quamquam minus *veram* censet vir incomparabilis, propterea quod scholas sive dissertationes habitas conscribere et edere consuevit Plutarchus. Ut igitur ad sententiam et consuetudinem auctoris accommodetur locus, ita fere mutandum esse: "Ἄ δ' οὖν ἐμοὶ — εἰπεῖν πρόην ἐπῆλθε, νῦν — ἐπέμψαι· κἄν δοκῇ σοι —; cujus mutationis qui velit rationem intelligere, ablegandum ad II. De audiendo p. 37. C. De Capienda ex inim. utilit. p. 86. C. Adversus Epicur. p. 1086. C, D. Advers. Colotem p. 1107. E. Vellem exposuisset nobis vir optimus ceterorum Mss. varietatem, quam dicit magnam neque hic enumerandam. Neque enim persuaderi possumus, Wyttenbachii conjecturam ab omni parte esse veram, quum justo longius recedat a vestigiis eorum, quos novimus, librorum mss. cum edd. Aldin. et Basil. comparatorum, in quibus est: "Ἄλλ' οὖν ἐμοὶ — εἰπόντι πρόην, ἐπῆλθε — γεγραμμένα διελθεῖν· κἄν δοκῇ σοι, vitiose omnino, sed tamen ita, ut inde appareat, sive διέλθε, sive διελθεῖν, sive διενεόθη, sive quid sit aliud, penitus abesse non debere. Ceterum ea, quae sequuntur, mihi quidem videntur requirere aut διελθεῖν aut διέλθε, tum propter κἄν, tum ob verbum μεταδίδου. Quare locum ita correctum velimus:

"Ἀπερ οὖν ἐμοὶ περὶ ποιημάτων εἰπεῖν πρόην ἐπῆλθε, νῦν πρὸς σε γεγραμμένα ἐπέμψαι διελθεῖν· κἄν δοκῇ σοι —

consimillima ratione loci De capienda ex in. ut. p. m.

P. 15. B. In verbis "Ὅτι τῷ βρωθῆναι μὲν ἔστιν ἥδιστος articulum omisit cod. Paris. C., sed recte Wyttenbachius delere non ausus est. Videtur

quidem redundare, nam ἡδὺς et similia plerumque nudo infinitivo junguntur, ut in Xen. Cyrop. V, 2, 11. ἡδὺν μᾶζα καὶ ἄρτος φαγεῖν — ἡδὺν ὕδωρ — πιεῖν, Herodot. IV, 53. Βορυσθένης πίνεσθαι ἡδιστος (Matth. Gramin. §. 535, b. ed. alt.). Sed inde, quod infinitivus plenam substantivi naturam induit, sequitur etiam, in oratione praesertim familiari articulo interdum ibi locum fuisse concessum, ubi omittere solebat sermo sollemnior et elegantior. Nec dispar est ratio, si quando e grege homines dicunt: *Es ist gut zum Essen*, sociatis duabus notionibus, altera, qua declaratur, rem esse talem, ut edere possis, ad edendum igitur idoneam, altera, quae addit suavitatis significationem. In hac simplici explicandi ratione si acquieveris, non opus erit artificiosa illa, quam simili quaestioni adhibuit *Hermannus* ad Sophocl. Aj. 114., ob id notatus ab *Augusto Matthiae* ad Eurip. Hippol. 49.

P. 16. B. De istis: Οὔτε γὰρ μέτρον — οὔτε ἀρμονία καὶ σύνθεσις ἔχει τοσοῦτον αἰμυλίας καὶ χάριτος, ὅσον εἰς πεποιημένη διάθεσις μυθολογίας multus est *Wyttenbachius*. Primum πεποιημένη quamvis habeat, quo satis se tueatur, quum ποιεῖν significatione fingendi frequens sit, non minus tamen πεπλεγμένη probandum esse, quippe quod vocabulum distinguat actionem implexam a simplici. Tum agit de discrimine vocum σύνθεσις et διάθεσις, quarum alteram h. l. esse compositionem, alteram dispositionem. Quae si vera sunt, omnino πεπλεγμένη praeferre non dubitabimus, sed nunc vera esse negamus. Vocabuli autem διάθεσις non idem constat apud Rhetores usus. Alii dispositionem intelligunt, alii narrationem, alii argumentum. *Plutarchus* quidem, ubicunque de διαθέσει loquitur, non solum dispositionem, sed demonstrationem vel expositionem vel argumenta fabularum vel orationis collocationem significat. De verbis libelli De recta aud. rat. p. 44. E. μήτε αὐτὴν τὴν ὑπόθεσιν τοῦ λόγου καὶ προαίρεσιν, ἀλλὰ μὴδὲ λέξιν ἢ διάθεσιν τῶν λεγομένων ita statuendum, ut quum λέξις priorem, διάθεσις posteriorem teneat locum, prius referatur ad elocutionem, posterius ad expositionem. Magis etiam faciunt ad rem illustran-

dam bini in nostro libello loci p. 17. B., ubi ipse Wyttenbachius *διαθέσις* recte interpretatur *argumenti demonstratio*, et p. 20. B. Quod si igitur Baehrius εὖ πεποιημένη διάθεσις bene ita reddidit: *eine gut ausgeführte mythische Darstellung*, non est, quod *πεποιημένη* improbetur.

Ibid. Ὁ Σωκράτης — τοὺς δὲ Αἰσώπου τοῖς ἐπει μύθους ἐνόμιζεν, ὡς ποιήσαν οὐκ οὔσαν, ἢ ψεῦδος μὴ πρόσσει. In Platonis Phaedone 4. p. 60 sq. Cebes, carminum, quae Socrates in carcere composuerat, memor factus, hunc interrogat, quid respondendum sibi sit sciscitantibus quibusdam, cur extremo vitae tempore operam illis dedisset. Ille vero, somnio obtemperare se voluisse jubenti facere et musicam tractare. Ad philosophiam igitur quum carmina censuisset addenda fabulisque fingendis se minus parem, Aesopi fabulas in versus se redegit, ne id negligeret, in quo maximam cerneretur poetae laus summumque officium. Qua in expositione quum Plato usurpaverit tum *ἐντείνειν*, tum *ποιεῖν τοὺς τοῦ Αἰσώπου μύθους*, Wyttenbachius *ἐνόμιζεν* rejicit substituitque *ἐνήρμοζεν*. Quodsi contigerit, ut alia quadam explicatione usum vocabuli *νομίζειν* tueamur, non egemus mutatione. Activam vocis significationem non diffitetur Wyttenb., ut notet *aliquid legem facere* prouti *βασιλεύειν τινὰ aliquem regem facere*, quemadmodum fere Aristid. Tom. 1. p. 6. *ἀνθρώπους δ' αὖ μόνους τῶν ἄλλων ζώων ἐνόμιζε* cll. Tom. II. p. 101. Mihi quidem hoc loco *νομίζειν* non a νόμος, quod Krebsius dicit *poeseos genus*, sed a νόμοις, *modis musicis*, factum videtur *νομίζειν*, *certis modis aptare, adstringere ad certas modulationis leges*. Exemplis, quae hanc interpretationem extra omnem dubitationem ponant, me carere haud inficior, inventum iri confidens in libris veterum musicis, quos pervolutare nunc non licet. Jam illud saltem video, Plutarchum Solone p. 80. A. dixisse *τοὺς νόμους ἐπεχείρησεν ἐντείναις εἰς ἔπος ἐξενεγκεῖν*, inque unam mecum sententiam ingressum videri Stallbaum. ad Plat. Phaedon. p. 32. ed. Goth. Ceterum quomodo *τοῖς νόμοις* orta sit *modos musicos* significandi potestas, ipse Plutarchus declarat De Music. 6. p. 1135. B., ubi legimus: Ἐν γὰρ

τοῖς νόμοις ἐκάστη διετήρουν τὴν οἰκείαν τάσιν· διὸ καὶ ταύτην ἐπωνυμίαν εἶχον. νόμοι γὰρ προσηγορεύθησαν, ἐπειδὴ οὐκ ἔζην παραβῆναι καθ' ἐκάστον νενομισμένον εἶδος τῆς τάσεως.

P. 16. E. Ἄλλ' ἐπιλήφεται μὲν αὐτοῦ φοβουμένου τὸν Ποσειδῶνα — ἐπιλήφεται δὲ τῷ Ἀπόλλωνι χαλεπαίνοντος ὑπὲρ τοῦ πρώτου τῶν Ἀχαιῶν. Ad sensum com-
mode restituit Wyttenbachius αὐτοῦ pro αὐτοῦ, *reprehendet se ipsum, si timuerit Neptunum*, et in iis, quae sequuntur, ἐπιλήφεται τῷ Ἀπόλλωνι pro vulgato τοῦ Ἀπόλλωνος. Respici ad Il. v. 61. 55. nemo non videt. Illud tantum monuerim, propius etiam mihi videri ad codicum, ut nunc est, scripturam accessurum, qui scribat τοῦ Ἀπόλλωνι χαλεπαίνοντος, ut τοῦ referatur ad αὐτοῦ, similemque usum participii, ubi pronomini additur expli-
cationis causa, exhibeat *Platon. Apol. Socr. 21. p. 35. H. St. τοιοῦτος φανού-
μαι, καὶ ἰδίᾳ ὁ αὐτὸς οὔτος, οὐδενὶ πώποτε ξυγγορήσας οὐδὲν παρὰ τὸ δίκαιον.* Huc pertinet participium post ὧδε illatum, de quo monuerunt *Heindorf.* et *Stallbaum.* ad *Phaedon. §. 5.* Sicut illud τοῦ, ita αὐτοῦ, αὐτῶν rel. redun-
danter interdum ponuntur praegresso nomine v. *Hermann.* ad *Soph. Trach. 288. Krüger.* ad *Xenoph. Anab. II, 4, 7. Poppo* ad h. l., *Stallb.* ad *Plat. Symp. 18. p. 85.*

P. 17. B. C. Πάλιν αἱ περὶ τὰς νεκυίας τερατουργίαι καὶ διαθέσεις — ἐνδη-
μιουργοῦσαι φαντάσματα καὶ εἰδῶλα ποταμῶν φλεγόμενων — οὐ παντὶ πολλοὺς διαλαν-
θάνουσιν, ὅτι τὸ μυθῶδες αὐτοῖς πολὺ καὶ τὸ ψεῦδος, ὥσπερ τροφαῖς τὸ φαρμακῶδες,
ἐγκέκραται. Wyttenb.: „*Τερατουργία rarior forma pro τερατεία praestigiae.*“
Sed latius patet illud quam hoc; prius enim idem fere quod *θανματοουργία,*
τερατεία consistit in vocabulorum inanum, vanorum, prodigiosorum lusu,
ut *Aristoph. Nub. 317. Reisig. αἴπερ (Νέφελαι) γνώμην καὶ διάλεξιν καὶ νοῦν*
ἡμῖν παρέχουσιν, καὶ τερατείαν, καὶ περίλεξιν. *Isocr. Panathen. init. τοὺς μυθῶ-
δεις οὐδὲ τοὺς τερατείας καὶ ψευδολογίας μεστούς. Φαντάσματα praetuli cum Ald.*
Bas. Xylandr. Paris. E. Mosqu. 2. Harlei. et Colleg. Nov. Wytt. φάσματα,

quod propter insequens *εἰδωλα* non probaverim. Nec conjectura *γροφαῖς* pro *τροφαῖς*, quam proposuit Wytt. ut probabilem, non repudianda erit ut minime necessaria, si patuerit, quod negat ille, vulgatam commodam praebere sententiam. Quae ut appareat, monendum, cogitari de re aliqua perniciosā, quae carminibus insit ceteroquin maximopere commendandis, sicut interdum et aliis rebus sanissimis, ut cibis quibusdam, insunt particulae noxiae, pestiferae, quarum tamen vis et natura tollitur usu cauto ac temperante. Quodsi igitur primitiva *venenosi* vocabulo *φαρμακῶδες* relinquatur notio, non est, in quo haereas. De *salutari* autem *medicina* non licet cogitare.

P. 17. D. Quid in illo: *Ἡ δὲ περὶ ταῦτα ἀλήθεια, καὶ τοῖς μηδὲν ἄλλο πεποιημένοις ἔργον ἢ γνῶσιν καὶ πάθησιν τοῦ ὄντος, εὖ μάλα δυσθῆρατός ἐστι* — sit *τοῦ ὄντος*, non facile apparebit, nisi comparaveris totius sententiae nexum. Consentiendum Wytttenbachio, non apte Xylandrum reddidisse *hujus ipsius rei*; sed quod ipse ille V.D. praefert, *ipsius rei*, ex communi usu formularum *τῷ ὄντι, τοῦ ὄντος ἐφάπτεσθαι*, similium, plausum vix feret. Poetis plerumque opponuntur philosophi, qui rerum ipsam naturam perscrutentur, non fictam, sed veram, *ejus quod sit, non quod videatur*. Quae significatio quomodo sit abstrusior pro hac institutione puerili, non liquet, quandoquidem et Empedoclis et Xenophanis et Socratis sententiae paulo post commemorantur, ut firmetur juvenis animus philosophica consolatione, et quum statim incidat mentio philosophorum vertigine circumactorum in rebus fabulosis. Quare spectat oratio ad ipsos philosophos, non eos quidem solos, qui *naturae* investigandae studeant, sed cunctos eos, qui laborent in *vero* intelligendo. Plat. Sympos. c. 22. p. 202., A. *τὸ γὰρ τοῦ ὄντος τυγχάνον πῶς ἂν εἴη ἀμαθία*; quod bene illustrat Stallbaumius.

P. 20. D. Inter varia poetarum dicta, quae juxta se posita sibi repugnare deprehenduntur, versus leguntur mire depravati suppresso auctoris nomine, probabiliter Euripidis, quum et ambo, qui comitantur, a

Plutarcho ipso et aliis passim Euripidi inscribantur. Sunt autem, qualia in Wytttenbachii editione leguntur, haec:

— — τι δῆτα δεῖ σε κάμνειν; καθανεῖν
ἄμεινον· οὐδεὶς κάματος εὐσεβεῖν θεούς.

Libri admodum variant in priore versu, in posteriore nihil. Hinc parum certi, nec attinet recensere. Sed illa, quae descripsimus, haud ferenda, nam alter versus alteri non pariter respondet ac ceteri sibi invicem respondententes. Et quisnam probabit καθανεῖν ἄμεινον? Probabilem in modum Wytttenbachio priorem *Meziriacus* videtur ita constituisse:

Τι δῆτα κάμνειν δεῖ σε καὶ θανεῖν ὁμῶς;

posteriorem *Valckenarius* ad Eurip. Phoen. p. 447., ut Palamedis responsum ad Agamemnonis dictum:

Ἀγάμεινον, οὐδεὶς κάματος εὖ σέβειν θεούς.

ex Euripidis fabula Palamede. Sed hoc censuerim acutius quam verius et priorem versum leviori mutatione restituendum, quemadmodum jam *Grotius* in ed. libri Plutarchoi Stobaeo praemissa p. 20. 23. in Excerpt. p. 429. et 467. posteriorem ad litterarum ductus majore cum probabilitate mutandum:

A. Τι δῆτα δεῖ σε κάμνειν καθαννούμενον;

B. Ἀναμεινον· οὐδεὶς κάματος εὖ σέβειν θεούς.

Καθαννούμενον est in Paris. C. E. Coll. Nov. Vulcan. Exempl. Turneb., et invenitur saepius apud Euripidem. Nisi forte Ἀμεινον quoque servandum erit illa via, quam per litteras mihi aperuit *A. F. Naekius*, praeceptor clarissimus isque conjunctissimus, ut sit exclamantis cujusdam alterumque corrigentis et *Meliora!* jubentis.

In Sophoclis versibus P. 21. B. Δεινὸς γὰρ ἔρπειν πλοῦτος πρὸς τε τάβητα —, quos Stobaeus quoque laudat Serm. XCI. p. 371. praeter opinionem haesi-

tavit Wyttenbachius. Exhibuit eosdem Brunckius Tom. II. p. 7. et Theoph. Schneiderus Tom. VIII. p. 14. De versu 2. et 3.: *Καὶ πρὸς τὰ βατὰ τε χῶ- πόθεν πένης ἀνήρ Μηδ' ἐντυγῶν δύναιτ' ἂν ὧν ἐρᾷ τυχεῖν.* (nam ita scribendum) statuit Wytt., dura esse verba et contorta, nisi proximum aliquem ver- sum excidisse putetur; qua quidem suspicione supersedere licet, modo recte illa explicentur. *Divitiae obrepunt ad invia adque pervia et ad ea, unde pauper iis, quae cupit, potiri possit, nondum antea nactus.* Vs. 5. dati- vus γλώσση praestat et struendus ad σοφόν, disertum, ut nominativus sit πλοῦτος. Tum finis nec peculiaris est et apte continuatur cum antecedentibus.

P. 24. D. Οἱ ὄν ἐστι καὶ τὸ τῆς Ἀρετῆς. Ἐπεὶ γὰρ οὐ μόνον ἐμφρονας παρ- ἔχεται καὶ δικαίους καὶ ἀγαθοὺς ἐν πράξεσι καὶ λόγοις, ἀλλὰ καὶ δόξας ἐπιεικῶς καὶ δυνάμεις περιποιεῖ, παρὰ τοῦτο ποιοῦνται [οἱ ποιηταὶ] καὶ τὴν εὐδοξίαν ἀρετὴν καὶ δύναντον ὀνομάζοντες. Illud παρὰ τοῦτο ποιοῦνται — ὀνομάζοντες valde dis- plicuit Wyttenbachio. Postrema parte feliciter ita constituta: καὶ τὴν εὐδο- ξίαν καὶ δύν. ἀρ. ὀνομ., alienum a Graeca consuetudine videbatur παρὰ τοῦτο ποιεῖσθαι, cujus aptam significationem Wytt. non poterat expiscari. Quam ob rem tuetur codd. quorundam scripturam οὐ παρὰ τοῦτο π. ita accipiens: non distinguunt — nullo discrimine utuntur gloriam et potentiam virtutis nomine appellantes. His rejectis nos utique locum judicamus aut omnino sanum aut saltem una littera mutata sanandum. Auxilium monstrat lo- cutio παρ' οὐδὲν ποιεῖσθαι τι, ab ipso Wytt. in transcurso notata. Παρὰ c. acc. saepe indicit, quo quid ordine vel loco positum sit. Παρ' οὐδὲν τι- θεῖσθαι vel ποιεῖσθαι, ponere nihili in locum i. e. nihili aestimare; ita παρὰ πολὺ, παρὰ μικρὸν, παρὰ βραχύ. Et παρὰ τοῦτο ποιεῖσθαι juxta, parem in ordi- nem s. significatum ponere, daneben in gleichen Rang stellen, gleichbedeu- tend gebrauchen. Quamquam nescio an praestet scribere παρὰ τὸ αὐτό.

Sed jam ad *Platonem*. Cujus quum *Symposium* proximo anno discipulis meis proposuissem, *Stallbaumii* potissimum editione usus, obviam facta sunt aliqua, quae ab illo minus commode constituta viderentur. Ex his pro loto concesso pauca tantum eligimus.

Cap. IV. p. 176. D. Stallb. νῦν δ' αὖ βούλονται καὶ οἱ λοιποὶ notans: „exquisita brevitate dictum hoc sensu: *nunc vero rursus idem fiet, quando quidem etiam ceteri convivae volunt.*“ Dura mihi quidem haec videntur et longius petita. Malim νῦν δ' ἂν βούλονται καὶ οἱ λοιποὶ.

Cap. VII. p. 179. B. Καὶ μὴν ὑπεραποθνήσκειν γε μόνοι ἐθέλουσιν οἱ ἐρωῶντες, οὐ μόνον ὅτι ἄνδρες, ἀλλὰ καὶ γυναῖκες. τούτου δὲ καὶ ἡ Πελίου θυγάτηρ Ἀλκίσις ἰκανὴν μαρτυρίαν παρέχεται ἰπὲρ τοῦδε τοῦ λόγου εἰς τοὺς Ἕλληνας. Locus ab interpretibus varie tentatus, nec vero, quod sciam, satis accurate tractatus. Inprimis molestiam creavit illud ὑπὲρ τοῦδε τοῦ λόγου, quod nescirent, quomodo propter τούτου defenderent, quum tamen utrumque varie possit accipi. Nam τούτου non pertinet ad totum enunciatum, quod praegreditur, sed ad ἀλλὰ καὶ γυναῖκες ὑπεραπ. ἐθέλ., cujus exemplum profertur *Alcestis*. Ὑπὲρ τοῦδε τοῦ λόγου injuria pro glossemate habitum referendum ad totam sententiam de amantibus pronuntiatam; nec igitur opus, ut cum *Heindorfio* ad *Protag.* p. 471. interpretemur: *ut huic dicto fidem faciam*, verbis ita intellectis: *hujus rei testimonium praebet huic orationi, was für diese Behauptung spricht.* Denique εἰς τοὺς Ἕλληνας quum non negaverim collatis exemplis a *Stallbaumio* laudatis cum vi pro dativo positum apte dici (cf. etiam *Heindorf.* ad *Gorg.* p. 272. ad *Lys.* p. 20.), nescio tamen an potius sit *quod attinet ad Graecos, si de Graecis loquimur.* Itaque germanice totum locum sic reddo: *Vom Letzteren gewährt auch Alcestis — ein hinreichendes Zeugnis für meine Behauptung in Bezug auf die Griechen.*

Cap. X. p. 183. D. In verbis: τὸ δὲ, αἶμα, ὡδ' ἔχει· [οὐχ] ἀπλοῦν ἐστὶν ὄπερ. ἐξ ἀρχῆς ἐλέσθη, οὔτε καλὸν εἶναι αὐτὸ καθ' αὐτὸ οὔτε αἰσχρὸν, ἀλλὰ καλῶς μὲν πραττόμενον καλόν, αἰσχρῶς δὲ αἰσχρὸν, particulam negativam Stallb. suspectam reddere voluit, obsecutus. Bastio et deceptus corrupta unius cod. Bas. 2. scriptura, vertitque: ἀπλ. ἐστ. simpliciter ac sine ulla exceptione verum est. Cujus rei notam subiit Ludovici Hüpeden Cellensis, qui in Seebodii Novo Horreario a 1829. mens. Mai. scid. 24. hunc locum illustrare conatus est exhibita veriore vocis ἀπλοῦν declaratione deprompta ex illo p. 182. A. B. ἀπλῶς γὰρ ὄρισται, cui opponatur ποικίλος, unde pateat, ἀπλ. nil esse nisi simplex. Itidem simplex esse desinere, quod Pausanias perneget, quamcunque actionem per se pulcram esse aut turpem, quum statuatur contra, pulcre factam pulcram, turpiter actam turpem; qua appositione duplex fieri. Non improbans viri doctissimi sententiam illustrabo rem alio quodam Platonis loco, cujus auxilium non minimum erit. In Lachet. p. 188. C. ipse Laches ita sermonis facit initium: Ἀπλοῦν τὸ γ' ἐμὸν, ᾧ Νικία, περὶ λόγων ἐστίν· εἰ δὲ βούλει, οὐχ ἀπλοῦν ἀλλὰ διπλοῦν. Καὶ γὰρ ἂν δόξαιμι τῷ φιλολόγῳ εἶναι, καὶ αὐτῷ μισολόγῳ. In eo primum Jacobsius (in libro, qui inscribitur Socrates p. 207.) vere monet ludi ancipiti significatione vocis ἀπλοῦς, nunc pro ἀφελῆς usurpatae, nunc proprie dictae. Quod si vero pergitur οὐχ ἀπλοῦν ἀλλὰ διπλοῦν, propterea sermo appellatur duplex, quod in duas partes exeat, quarum quaeque eligi possit, prout res et consilia se habeant. Ita φιλολόγον se videri affirmat, quando conspiciatur laetus disputatione viri sapientis, μισολόγον, ubi incidit in virum contrario modo agentem.

Cap. XVII. P. 194. A. Εἰ δὲ γένοιτό, οὗ νῦν ἐγώ εἰμι — εὖ καὶ μάλ' ἂν φοβοῖο καὶ ἐν παντὶ εἶης, Stallbaum. annotavit: „ἐν παντὶ εἶναι in summa consilii inopia, in summo timore versari v. Wyttenbach. ad Plutarch. de Serapione. Vind. p. 127.“ Is adscriptis quatuor locis Platonicis aliisque locutionem ἐν παντὶ εἶναι significat notare in maximo timore esse. Cfr. etiam

Valckenar. ad Herodot. p. 557. Mihi quidem accuratius videtur dicturus fuisse: *in summa angustiarum esse, sich in grösster Verlegenheit befinden*, ita ut timoris saltem notio non sit primaria. Fontem videas in pleniore forma *ἐν παντὶ κακοῦ εἶη*, quae legitur Plat. Rep. IX. p. 505. C.

Cap. XXII. p. 202. C. *Ἡ τολμήσας ἄν τινα μὴ φάναι καλόν τε καὶ εὐδαιμόνα θεῶν εἶναι; „V. θεόν, quod ex optimis libris mutavimus. Pendet genitivus ab τινά.“ St. Sed vel contra libros θεόν tuendum putem. Negat quidem *Matth.* gramm. §. 320. p. 628, discrimen esse formularum *θεῶν τις* et *θεός τις* priorem a tragicis saepius usurpatum existimans. Quae passim repetuntur in novissimis ad Euripidis fabulas annotationibus. Eadem scilicet jam pronuntiaverant *Elmsleius* (ad Eur. Med. 241.) et *Monkius* (ad Eur. Alcest. 121.). Sed praeclare *Hermannus* ad Soph. Ajac. 977.: „Recte dicas, servari aliquem ab aliquo deorum, ubi quum sponte intelligatur, deos esse, qui servent hominem, illud tantum spectatur, non illum certum quendam, sed aliquem deorum esse. Sed ubi deum esse, non hominem dicere voles, singulari uteris.“ Ita h. l. pulcritudinis et felicitatis notis ad deum optime quadrat, cujus ipsa divina natura maxime illis declaratur. Quatenus igitur quis deus est, nemo ipsum pulcrum et felicem praedicare recusabit. Soph. Oed. Col. 271. recte dictum *πρὸς τὸν εὐσεβῆ βροτῶν*.*

Sed haec quidem nunc sufficiant; cetera Deo favente aliud tempus proferet.